

DISPUTATIO HISTORICO;  
PHILOLOGICA

*De*

JSU ORGANORUM  
IN TEMPLIS

*Quam*

AUXILIANTE DEO,

Ex adfensu Ampliffimæ Facultatis  
Philos. Aboensis

*Sub TUTELA*

*Viri Ampliffimi*

DN. M. TORST. RUDEEN,

Poëseos Professoris Ordinarii,

Speciminis ergo

*Doctorum examini modeste defert*

HENRICUS MUNCK,

Narva - Ingermannus,

*Ad diem 30. Junii loco & horis solitis*

*Anno Christi 1697.*

---

Abo æ, Impr. apud Jo. WALLIUM.

In

*Elegantem Disputationem*

Politicissimi

DN, HENRICI MUNCK,

Cum vasta mundi machina stat sua  
Perfecta mole, nec dolor aut metus  
Grassatur ullus, festa ducens  
At choreas per oleta virtus.

Non svasit, uno gaudia barbito  
Natura, mundo stemmatis incluto  
Formæque, multorum sed apte  
Miscuit ingeniosa risus.

Plausere primo, Cymbala jubilo  
Nascentis alma Luce Poli, novis  
Versata stellarum per Orbes  
Tripudiis, volucrique plectro.

Festiva rythmis agmine siderum  
Psallente ter, mox ter pariles sonos  
Reddente Olympo, atque Angelorum  
Emodulante jocos caterva:

Nec casta vult, jam pendula lunulis,  
Mœrere tristi syrmate nubium,  
At comis arridere cœlo,  
Aura, labris placitura pulcris.

Nam

Nam molle fatus, grex levis alicum  
En pendet alta fronde, procacibus  
Arguta docti carminis plebs  
Mox sedet illecebrosa silvis.

Tum vero, moestâ nec mare ductilem  
Passum lacuna sidere marmoris  
Candentis auram, jussit udos  
Æqvore subleqvier susurros.

Nam mox, & uber gratia fluminum,  
Et limpha pellax reddita fontibus,  
Et blanda nugantis cachinni  
Æmula vox salientis undæ:

Mulcere sensus, ac viridem morâ  
Svadere somnum, tum magico melo  
Labentis accursum favoni  
Discere, pergit amœna lusu. At

Ne sola bruto terra silentio  
Squaleret, helvis undiqve floribus  
Illustris, innuptis aperta  
Collibus, & phalerata bysso:

Exurgit, hymnos admodularier  
Stridore rauco non rudis artifex;  
Non segnis inclamare sistro,  
Aut citharæ sociare *Jubal*.

Exurgit: ac dum tympana verberat,  
Dum perflat apto murmure tibus,  
Dum cantat haut mendax avena,  
Et calamis nova plectra jungit,

Lingvæis Orbis congener æmulus.  
Ac alter Oscen, gaudia triplicat  
Desveta mundo, temperatis  
Doctus acutum ululare chordis.  
Jam, ni ipse *Jubal* desineres chori:  
Ni Gratiarum, ni Jovis atria  
Squalore tristi nigricarent:  
Ni lacrumaret & universa  
Natura complex, ob mala patriæ  
Funesta: queis tam pressa laborat, ut  
Vix SOLE lucem proh! OCCIDENTE  
Ambiat: hæc foret artis ora:  
Ter vive felix, vive loquaculæ  
Author cicutæ: vivito Musicæ  
Gens dives, atque intercalares  
Ter fidibus geminato cantus;  
Cum terra cœlum, Numen Apollo, dum  
Pulsatis aures, Os Superum, seqvax  
Ut vita carmen, sic medela  
Ocyor, æqua chelys gementi.

*Deproperabam, latiora Patriæ  
tempora, ab misericordissimo  
DEO, per infinitam meritæ  
JESU CHRISTI gratiam  
vovens,*

J. RUNGIUS.

LECTORI CANDIDO S.



*a mirari subit, Lector candide, quod tempore luctuosissimo materiam minus convenientem tractandam exponam, tempore dico, quod cum fastis eximi non potuit, adeo atrum & funestum toti Orbi Arctoo incubuit, ut neminem reperias acerbissimi luctus publici exsorem, tremunt certè artus, torpent vox & Spiritus, quoties tenebrosissima mœrentis Patriæ imago occurrit, non templat tantū, aulas, curias & palatia densissima doloris caligine obscurata, sed & quocunque oculos circumferimus, imo in ipsis quoque mœroris minime nesciis, notas & indicia orbitatis ac solitudinis conspiciamus; Eheu quam & sentiunt se Muse boreales Jovis fulmine tactas, jacent enim squalida, dejecta & præ nimio mœrore sui vix compotes ex patria Parentis excessu; Parentis eheu, quem omnis cogitat memoria, omnis colet posteritas Parentē, invictissimū in terris, nunc*

in caelo eternum triumphantem, gloriosissima  
recordationis Monarcham CAROLUM XI.  
cujus decumano Nomine, virtutibus Regius il-  
lustrius vix aliud ullum tulit ævum, vix gran-  
dus adspexit oculus mundi Sol. Fatemur  
ergo meritissimo nobis reliquum fieri triste &  
acerbum plorare. Ipsa gemebunda Musica &  
tam borrendo vulnere saucia in silentium se  
composuit, & cum ipsa per se loqui non su-  
stineat, sub hac tamen pulla typorum fascia,  
aliquid de sui usu singultit. Nec igitur est  
Musica nostra leta, nec culta adeo, ut eo, quo  
feliciores decet, habitu oculos tuos subeat;  
facit equidem inter gemitus, inter planctus  
hosce hanc nobis copiam sui, sed ut, dum ipsa  
summo dolore dejecta silet, ex hoc quoque de-  
sideratissima artis stupore nunquam non acer-  
bissima fortuna Patrie nostrae ingemiscas; ac-  
cipe & hoc, quod ante quam tristissimus nun-  
cius ruinae Capitis nostri nobis supervenit, ju-  
veniles hasce, jam vero nomine nœnias auspi-  
cati essemus; proinde ad redimendum quoque  
tempus, cujus non minimam partem luctus sibi  
vendicat, propositum non desinere, sed hoc  
quidquid est diei ostendere consultum duxi.  
De cætero arrisit præsens mihi materia im-  
pri-

primis ideo, quod beatissimi Parentis mei memoriam sic pie liceat recolere, quippe Musices præsertim eam partem quam organicam dicimus tantopere amantis, ut juvenis adhuc, Organiste munia in templo Cathed. Wiburgenfi, per dimidium annum, cum forte ordinario careret, peritissime equidem, ni amor erraverit, nec sine pio Ecclesia applausu agere non recusaret. Fateor ingenue C. L. quod hoc argumentum, suam per amplitudinem & jucunditatem, à nobis requisivisset exquisitiorem, addo & prolixioram operam, sed cum sumtibus, quos invida negavit fortuna, consulendum esset, & nos exercitiis hujusmodi minus adsuetos prima vice tumultuaria fortassean Scriptura causabitur; veniã apud C. L. si non non mereri, attamen impetrare me posse arbitror. Zoilos non moror, cum scripta eruditorum Ibeonino dente carpere soleant, tanto me ab hisce tutum magis polliceri possum; ceterum quisquis tantopere juvenilibus conatibus detraxeris, scias temet apud quemlibet bonum, non tam mihi, quam tibi ipsi tali tuo iudicio adinstar foricis nocere. Tu interim L. C. benevale, nobisque, si quid minus voto cesserit, pro tuo quo es favore ignosce.

DEO



quam olim diversum de nobilissima Musices arte senserit Ethnica natio, annales temporum fatis superque innu-

unt; Ægyptii enim Musicam non simplici odio aspernari, sed diris quoque devovere, & è societate potius bonorum exulare, quam in republica retineri debere, infelici rationis decreto maluere. Testem accipe Diod. Siculum in lib. i. ubi ait: *πάλαισθαι καὶ μουσικὴν ἕνομιόν ἐστι παρ' αὐτοῖς μανθάνειν. i. e. Palastram ac Musicam apud eos discere non est moris.* Et mox: *τὴν ἤμουσικὴν νομίζουσιν ἕμόνον ἄχρησον ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ βλαβεράν, ὡς ἂν ἐκζηλίυσαν πρὸς τῶν ἀνδρῶν ψυχάς. i. e. Musicam non modo inutilem, sed ἔσ' noxiam esse, ut quæ virorum animos effæminet, persuasum habent.* Cui sententiæ accessere è philosophastris nonnulli, Cynici nempe, referente Diog. Laërt. in l. 6. de vitis Philosophorum, ubi & verba Diogenis Cynici recitat, quibus alteri artem istam ostentanti dixerat:



Γνώμῃς γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκῶνται πόλεις,  
 εὖ δ' οἶκος ἔψάλμοισι καὶ περιτίσμασι.

*Rectè igitur civitas prudentia:*

*Rectè simul canendo non regitur domus.*

Nec reclamatur Ephorus Socratis discipulus, qui auctore Polyb. in proœmio historiarum dicit, *ad fraudem ac deceptionem inter homines inductam esse Musicam.* Sed Romanis quoque invisam fuisse, tanquam à bonis moribus alienam offendendo, quippè Augusto & Neroni probro datum fuit, quod Musicam avidius sectarentur. Ecquis vero non videt Apulejum se potius deridendum præbuisse, quam nostram hanc artem, dum inter alia profusioris lingvæ verbera hæc legit: *Belluinis Strepitibus cantillant, dum himniunt discantum pueri, mugiunt alii tenorem, alii latrant contrapunctum, alii boant altum, alii frendent bassum.* Nec Agrippæ plus tribuas, qui Musicam, dixit, *esse vilium ac infelicis intemperantisque animi hominum exercitium, qui nec incipiendi nec finiendi rationem teneant.* Omitto nunc alios olores gratiarum nostrarum,  
 quid

quid de tam frivolis ac insulsis opinionibus eorum putabimus, sequenti discursu facturus palam. Decet enim, quum tot fuere Musicæ hostes, ex adverso laudare in ipsis quoque Ethnicis illos, qui accuratiori lance rerum momenta ponderare, scientiasque & alia Divinæ bonitatis munera, quantumcunque ex lumine naturæ haberi potest, æstimare didicerunt. Sane hi patrocinium artis canendi jure quasi in semet suscipientes, eam non magis obesse Reipublicæ, quam cultum DEI & observantiam legum, haud male judicarunt. In quibus præcipui sunt Græci, qui scientiâ Musicæ pueros imbuendos esse sedulo inculcarunt, & quidem ob tres non omnino leves rationes, quas exhibet Arist. in 8. Polit. c. 5. scil. *Quia & mores informat, & voluptati ac recreationi honeste inservit, & ad cursum beatæ vitæ alacrius explendum conducit.* A quo non abhorret Plato in Protag. f. 199. Cujus verba hic describere, & instituti ratio & brevitatis, cui lubentes hic litamus, verant: satis

4  
laudis est, ex ejus mente Citharistas vir-  
tuti studere, cavereq; nè quid indecorè  
adolescentes agant. Tum quod ubi jam  
pulsare citharam didicerunt, modula-  
tione præstanti carmina quoque Poëta-  
rum doceant, quæ ad citharam demur-  
murata, ad rythmos & harmonias pue-  
rorum animos conciliare valent, ut mi-  
tiores, modestiores & concinniores effe-  
cti, & ad agendum utiles sint & ad do-  
cendum. Unde ipse Socrates, jam senex  
& fato vicinûs, Musicam addiscere non  
erubuit.

§. II.

Sed methodi ratio injungit, ut jam  
Spaucissimis in Musicæ natales inquira-  
mus, cum id & quam maxime in rem  
nostram faciat, & haud injucundum sci-  
tu sit. Prænotamus autem quod Musica &  
*Harmonice & Canonice* generali nomencla-  
tura quibusdam audiat, ita A. Gell. L. 16.  
Noct. att. c. 18. *Pars quædam Geometriæ ὀπλὴν*  
*appellatur, quæ ad oculos pertinet: pars altera*  
*quæ ad aures, Κανονικὴν vocatur; & rursum: Κανονι-*  
*κὴν, ait, longitudines & altitudines vocis metitur,*

Et

Et quamquam eò appellationem Musices stomachum aliis movisse comperiam, quod Musæ, quarū ea nomen refert, inter nefanda gentium numina recenseantur, cum nobilitati tantæ artis, quam a vero Numine mortalibus concessam veneramur, maximè foret indignum, à deſtris mutuari nomen; præpoſtera interim & elumbis est ea argumentandi ratio, quando constat Musas longè prius extiſſe, quam ab Ethnica ſuperſtitione honoribus afficerentur divinis, ſcil. ut *Juſtitia, Febris, Pallor*, &c. iſtiusmodi prius fuere, quam a nationibus ſuperſtitioſa mente coleantur. Cæterum putamus nos originem nominis Muſicam & Muſas iplas deferre Hebræo מוֹסָא, quod artem ſeu diſciplinam ſonat, unde Dorica elatio μῶσα, pro qua reddita μῦσαι. Nec diſſimulamus tamen quod Plato in Cratylo, & Pharnutus in lib. de Nat. Deorum, Muſas ἀπὸ τῆς μῶσαι, i. e. ab *inquiſitione* derivent, ſiquidem ut Suidas rei rationem exprimit, *Muſæ ſunt omnis diſciplinæ inventrices.* Subſcribit Iſid.

Hispal. l. 2. Orig. c. 14. *Dicta Musica per derivationem à Musis. Musæ autem appellatae ἀπὸ τῆς μῦσας, i. e. a quærendo, quod per eas, sicut antiqui voluerunt, vis carminum & vocis modulatio quæreretur.* Et multum quidem desudat Myrsillus Lesbios in vindicanda origine novem Musarum patriæ suæ Lesbo, teste Clemente Alexandrino in Protreptico: *Megarim, ait, regem perpetuò cum conjugè jugari solitum, hoc amantissimam matris filiam valdè doluisse nomine Megaclo. Emisse igitur ancillas novem è Mysia, quas tum assa voce, tum citbara canere veterum gesta doctas, non parum cantu suo dolorem matris levasse, Megaclo igitur referendæ gratia statuas erexisse, prætereà jussisse, ut in omnibus templis iis bonos divinus præstaretur, quæ deinde pro Mysis dialecto Æolica μῦσαι, nuncupabantur.* Verum narrationem hanc non leviter suspectam habet Gerhard. Vossius in Theol. gentili, valde metuens, ne Myrsillus in patriæ suæ honorem sit illud commentus, unde ve-

risimilius censet, Megaclo curasse, ut  
 Mysæ exemplo Mularum institueren-  
 tur, postea vero cum Musis colerentur.  
 Nimirum, ut veteres quidem sub variis  
 fabularum integumentis universa ferè  
 præcepta Philosophiæ tradiderunt, è  
 quibus tamen vix vel ægrè admodum  
 liquet, quid per illas primariò inten-  
 datur; ita eos genio suo hac in parte  
 quoque indulgisse certum est. Finxere  
 Musas, quas præfides Poëtarum omni-  
 umque cantilenarum inventrices jacta-  
 bant, *Jovis & Mnemosynis* filias, eò qui-  
 dem, ut scitè ait Proclus Diadochus in  
 enarrationibus Hesiod. Quod eum qui  
 vacare Studiis velit, oporteat esse tam  
*νοητικὸν. h. e. intelligendi ac percipiendi potesta-*  
*te præditum, quam μνημονευτικὸν h. e. qui*  
*retinet quod didicit. Nam Jovi tribuebant*  
*τὸ νοητικὸν, Mnemosyni verò τὸ μνημονευ-*  
*τικὸν. Velut mavult Isid. Hispal. l. 2. Orig.*  
*c. 14. Carminū Evocis sonus, quia res sensibi-*  
*lis est, præterfluit in præteritum tempus, impri-*  
*miturq, memoria. Nisi enim ab homine memo-*  
*ria teneantur soni, pereunt, quia scribi non pos-*  
44
sunt.

*sunt.* Musarum numerum initio ternario includere visum, sive à triplici Musica, quæ consistit in *voce, flatu & pulsu*, sive potius, quia primò meditando, undè *Dea Cura*; deindè, quod meditati sumus, memoriæ inscribendum; postremò, *voce aut citbara*, vel aliter canendum, quod tria illa Musarum nomina innuere videntur: *μελέτη, Μνήμη, Ἀοιδή*. Successu verò temporis novenario celebrari, usu ferè ab omnibus receptum legimus. Quævis ducem & præfectum ob id Musagetem dictum dabant Apollinem, qui Musicæ & inventor & peritissimus passim prædicatur, & plurimum in locis solitariis cittharam pulsare sive vetus. Cæterum qui succinctam Musarum mythologiam cupit, adeat auctores in ea re. Nos inviti hæc etiam referimus.

### §. III.

**M**agis ad propositū fuerit expendere quam parum inter veteres de ipsius Musices origine convenerit; Eusebius enim

enim de præparat. Evangel. l. 10. Zethum & Amphiona, qui Cadmi temporibus vixerunt, Musicæ repertores dignatur. Quem in sensum in Bucol. Virgilius:

*Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat  
Amphion Dirceus &c.*

Quidam Orpheum & Linum Diis genitos, primos in arte Musica claruisse præcipiunt. Unde itidem Virgilius in Ecloga 4.

*Non me carminibus vincet, nec Thracius  
Nec Linus &c.* ( Orpheus

Non desunt, qui Pythagoram Musices primordia ex alternis fabrorum ictibus, & ferrariarum officinarum reciproco tinnitu oblervasse ajunt. Quam sententiam Græcos fovisse, notat Isid. Hispal. l. 2. Orig. c. 15, qui consuli potest. Ut ut sit, nemini horum adscribendam esse inventionem Musices, infra evincemus. De Pythagora quod scribunt, etiamsi fabri symphoniam ex tonitu malleorum eliciant, non disvadente, Virg. l. 4. Georg.



*Illi inter sese magna vi brachia tollunt  
In numerum &c.*

Planissimum tamen est, cum Home-  
rus, qui tempora Pythagoræ longe præ-  
vertit, crebram faciat mentionem Mu-  
fices, in auras abire illam sententiam,  
nisi forte Musicam dupliciter confide-  
ratam volumus, ut accipi siveit, primò  
quatenus in *θεωρία* consistit, & deno-  
tat scientiam subtiliori ratione sono-  
rum differentias perpendentem, cer-  
tisqve legibus definitentem, cujus au-  
ctorem Pythagoram ut Philosophum  
fuisse, verisimile videtur; Deindè prout in  
*πραξι* occupatur, ceu ars sonum non ni-  
si aurium iudicio mensurans, quomodo  
jam temporibus Mosis ipsi sacri pande-  
ctæ adfirmant. Par esto iudicium de Ze-  
tho Amphione & reliquis, qui non ipsam  
artem, sed exactiorem quandam modu-  
landi canendiqve rationem introduce-  
runt. Alii existimant aves oscines ad  
cantum hominibus præivisse, ut Ca-  
mæleon Ponticus qui apud Athenæum  
in l. 9. *Musicen ab hominibus priscis inven-*  
*tam*

ram & excogitatam, tradit, ab iis avibus, quæ in solitudinibus canunt, ad earumque imitationem institutam fuisse Musices disciplinam. Quo & Lucretii calculus collineare videtur:

*At liquidas avium voces imitari ore  
Ante fuit multò: quam lenia carmina cantu  
Concelebrare homines possent.*

Ubi, licet naturam Musicæ excogitandæ ministrasse non negaverim, cum nulla facile ars, quæ non tenus aliqua naturam exemplo præeuntem habuerit, reperiatur, juxta Arist. in Phys. c. 2. t. 22. *Ars imitatur naturam.* Tamen vix solidum magis videntur Camæleon Ponticus & Lucretius statuisse, quam si quis araneam contenderet artem texendi, hirundinem ædificandi, asinum modum vites putandi docuisse, quas ab eo arrosas melius crescere cernebant Nauplienses, teste Pausania in *Corinthiacis*, quapropter & Silenum Bacchi custodem asino a Poëtis imponi, tradit; maximè cum natura opera sua sæpe imperfecta arti perficienda reliquerit.

Pro-

Proinde non ex malleorum sonitu, nec ex avium cantu inventam, sed intellectus agentis ope ac sagacitate partam adserere Musicam non dubitamus.

#### §. IV.

Porro, ea communiter in duas partes dispesci solet, una quæ oris est, vocalis, sive *Harmonica κατ' ἐξοχὴν* ita dicta, audit; altera sonos per instrumenta exprimens, Organica scil. juxta illud Catonis apud Nonium Marcellum: *Melos in cantibus est bipartitum, unum quod est in assa voce, alterum quod vocatur organicum.* Est autem *assa vox* eadem ac sola, mera, sine ullius instrumenti musici cantu. Origo enim nominis est, quod nobis *in promptu semper & à natura assit*, notante Alsted. in Encycl. p. 1209. Quin Cicero non ineleganter Poësin quoque in communionem Musices trahit, dum ait L. I. de orat. *Musicam versari in numeris, vocibus & modis.* Illos non video ut possumus laudare, qui addunt Musicæ tertiam partem *Rhythmicam* scil. quod tacit Isid. Hisp.

lib. 2. orig. c. 18. *Ad omnem, dicit, Sonnum, qvi materies cantilenarum est, triformen constat esse naturam. Prima est harmonica, quæ ex vocum cantibus constat. Secunda organica, quæ ex flatu consistit. Tertia rythmica quæ impulsu digitorum numeros recipit.* Sed sole meridiano clarius est, hanc rythmicam partem organices esse. Legimus autem apud auctores, non infreqventer per peculiare exhiberi characteres utramque Musicæ partem, uti laudatus eloquentiæ Parens in *invektivâ in Catilinam Secundâ* ait: *Pueri tam delicati, non solum amare & amari, neque cantare & psallere, &c. cui similiter & A. Gell. l. 9. Noct. att. c. 9. de Antonio Juliano scribens: Is desideravit exhiberi scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce & qvi psallerent.* Ubi τὸ *Canere* & τὸ *psallere* diversa secundum distinctas Musicæ partes censentur, ita sanè ut sub priori, sonus oris, sub posteriori, organorum teneatur; Hoc vero tum obtinet, cum simpliciter adhibentur, nam sæpius apud bonæ latinitatis auctores

cum

cum adjectione instrumenti reperias, *Tibiâ, Tubâ, fidibus, vel citharâ canere.* Tres harmonias Musicas juxta tres Græcorum nationes, *Doras, Æolas, Jonas,* propter maximam morum disparitatem veteribus præcipuè in usu fuisse, notat ex Heraclide pontico, Athenæus l. xiv. Dipnosophist. c. 5. Differentiis singularum pro triplici fine Musices constitutis, ut sunt, *παίδεια informatio, κάταρσις, purgatio animorum & affectuum compositio.* Denique *Ἀγρωτή,* sive *vite transactio melior & jucundior.* Undè nata vulgata illa divisio in *cantus ethicos seu morales, practicos seu activos, & enthusiasticos seu furorem incutientes.* De quibus Arist. 8. Polit. c. 6. *Dores* virilem magnificentiam & gravitatem spirantes, pro natura suæ gentis Musicam non variam & multiplicem, sed severam, vehementem, & tetricam amplexi sunt. *Æoles,* ob eqyorum studium & convivorum frequentem usum, cantum modo superbum & tumidum, modo subinanem & laxum solvebant. *Jones* au-  
tem

tem molli & hilari voce delectabantur. Quandoquidem eorum Reges ut plurimum mollitie diffuebant. Sunt & alia harmoniæ seu Musicæ genera, quæ citato loco operis sui prolixè recenset Athenæus, utpotè *Lydorum* Musica, quæ *querula* erat, & *Pbrygum*, quæ religionem seu potius superstitionem ciebat, & non nullæ aliæ harmoniæ minus principales ei appellatæ; quæ tamen omnes optimè cum Heraclide Pontico ad tres illas præcipuas *Doricam*, *Æolicam* & *Ionicam*, referri posse putat, qui videri potest. Meminit porrò Arist. antiquitus quoddam genus cantilenæ *Lex* dictum, valdè frequentatum fuisse, & addit, *plerasq; cantilenas vocatas esse νόμους Leges*, quod homines priusquam literas scirent, leges cantaverint, nè fortè eas oblivio expungeret. Nec prætereundum quod veteres dum Musicam pueros docerent, â discanto haud dubiè initium fecerint, cum is omnium sit simplicissimus, & ob id ætati isti aptissimus, quare Mantuano quoque primo loco ponitur:

*Primus, ait, in aure sonus dominatur cantus  
acutus.*

*Sed Tenor est vocum rector ductorq; canentum.*

*Altus apollineum carmen depingit & ornat.*

*Bassus alit voces, confortat fundat & auget.*

Cæterum cum hæc & quæ in hanc rem prætereâ possent dici, institutum non feriant nostrum, iccirco properamus.

§. V.

**A**st è re esse videtur, ut paucissimis natales etiam organorum apud pri-  
scos tangamus. Quorum inventum  
Græci scriptores ad pastores referunt.  
Mercurium enim Majæ filium DEUM  
pastorum ex testudine primum omni-  
um lyram fabricasse ajunt, de quo Ho-  
ratius in primo carminum:

*Te canam magni Jovis & Deorum*

*Nuntium, curvæque lyre Parentem.*

Cui ex nervis trium chordarum, teste  
Diod. Siculo, pro numero trium anni  
temporum, tres instituit voces, acu-  
tam ab æstate, gravem ab hyeme, me-  
diam a vere. Inde Lyrici poëtæ dicti,  
qui ad eam versus faciebant decantandos.

Citharæ autem, quibusdam Apollo placet repertor, dum regis Admeti greges per novennium pavisse fertur. Jam Pan Deus rusticus, auctoribus Plinio & Servio, fistulam invenit; unde Maro in Corydone :

*Pan primus calamos cera conjungere plures  
Instituit. &c.*

Tibias vero Marsyam adinvenisse, observat Eusebius. Quamquam alii has Apollini assignant, sicuti lyræ quoque & fistulæ donum, quapropter simulacrum ejus quod in Delo erat, habuisse dicitur, in dextra *arcum*, in læva *gratias*, quarum una *lyram*, altera *tibias*, media *fistulam* tenebat. Quod ad citharam, ejus inventorem inter paganos operose non investigabimus, cum ex sacra pagina discamus Jubalem trinepotem Adami, qui omnium eorum ætates antevertit, cithara usum fuisse. Nec de tuba Plinium & Diodorum audiemus, qui Pileum Tyrrhenum pro repertore ejus venditant, quod ipsum quoque vult Virg. in 8 Æneidos.



*Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.*

Et nonnullos alios, qui nunc Dir-  
cæum, nunc Maletum seu Maleum,  
auctorem hujus instrumenti jactitant,  
cum tubæ inventor fuerit Moles ille  
Divinus Hebræorum dux, dicente Jo-  
sepho in 3 Antiq. *adinvenit autem mo-  
dum Tubæ ex argento factæ, quæ est hujus-  
modi, longitudinem habens pene cubiti: est au-  
tem angusta fistula calamo capacior, præ-  
bens latitudinem quæ conveniat ori, ad su-  
sceptionem spiritus, & classico sono vicina,  
quæ Hebraica lingua vocatur Alosra.* Se-  
quioribus seculis pastores etiam Musi-  
ca valde delectatos esse, satis docent  
Idyllia Theocriti, Virgilii & Nemesia-  
ni Eclogæ, ubi persæpe invicem de peri-  
tia cantus magna contentione decer-  
tantes introducuntur. Proinde pasto-  
res ἀγροῦλῶντες apud Lucam cap. 4. 8.  
dici contendit Theophylactus quasi ἀ-  
γροῦλκὸν αὐλῶντες id est *rustico more tibia  
canentes.* Ubi, utut verum pastores il-  
lius ævi præter fistulam, etiam tibiis u-  
sos fuisse, quod liquet ex Theoc. Idyll.

6. & 7. item Nemesiani ecloga 1 & passim apud Virgilium, nihil minus tamen evinci potest, quam pastores Christum adorantes, ex hoc, quod ἀγροαυλῆες dicantur tibia cecinisse, cum compositum ἀγροαυλῆν nusquam rustice tibia canere significet, etsi de simplici αὐλῆν illud concedamus. Sed ut Xenophon & Thucydides id verbi usurpant, non aliud vult, quam ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι hoc est in agro pernoctare vel excubare. Scilicet alias nulla foret cohærentia, pastores tibiis canebant, & noctis vigiliis in greges servabant. Imo vix ullum pastorum in noctis conticinio cecinisse legas, præter Polyphemum in Theocrito, qui id ipsum quoque ad mores barbaros & cyclopicos pertinere asserit. Denique illud quoque observationem meretur, quod pleraque veterum instrumenta, præsertim *Lyra, citbara* & alia quæ chordis intendebantur, septem chordarum fuerunt, docente Aristotele in problem. ἐπὶ ἑτάχορδοι, inquit. ἦσαν αἱ ἀρμονίαι τὸ παλαιόν. Imo & ea

quæ sonum flatu reddebant, eodem constabant numero & harmonia, quo illud Virgiliani pertinet:

*Est mihi disparibus septem compacta cicutis  
Fistula. &c.*

§. VI.

JAM aliquibus de altera Musices parte, quam Organicam diximus, agamus; sciendum, quod Græca vox ὄργανον, dicitur quasi ἔργον ab ἔργον opus, proprieque generaliter accipitur pro omnibus instrumentis Musicis, docente August. in Psal. 150. *Organum, ait, generale nomen est omnium vasorum musicorum.* Sic quoque passim ab Josepho in lib. Antiq. Judaic. & aliis usurpatur, sub cujus significatu & nos vocem hanc fronti dissertationis nostræ præfixam dedimus. Sunt vero Organa, alia ἔμπνευστα seu ἐμφυσώμενα, quæ spiritu instantur. Alia ἔγχρδα seu ἔνδαλα, ab aliis Rhythmica dicta, ut supra notavimus, quæ nervis vel chordis intenduntur, & impulsu digitorum numeros recipiunt. Alia κρσσεῖ seu κρούμενα, quæ pulsantur. Non nescio aliquos duo tantum velle organorum genera,

ἔμπνευστα scil. & ἐντάλα ut Athenæus l. 4. Ul-  
 timi generis in distinctione nostra species  
 recensentur hæ: Tympanum; Cymbalum  
 quod *pistillo sonorum est*; Crembalum Mun-  
 harpa; Barbiton Hackebråde; Crotalum,  
 non admodum à cymbalo diffinile, quod  
*manu pulsatur, laminis quibusdam ex ære ro-*  
*tundis, sonum ex collisione reddentibus*; Germ.  
 Klapper Od. Schellen; & alio nomi-  
 ne crepitaculum seu Ivet. Sframlan  
 dici potest; tintinabulum Bielran; cam-  
 panula; Sistrum, &c. Posterioris generis  
 sunt: monochordium, quod juxta Alste-  
 dium *omnium instrumentorum musicorum*  
*mater & radix est*; Clavicordū seu clavicym-  
 balū; Pandura seu Viola; Viola di Gamba  
 Germ. große Bassgeige; Testudo seu che-  
 lys Luta; Cithara &c. Primi generis  
 autem, Tuba seu Tromba; Buccina seu  
 Trompone; Fistula seu flauto; Tibia  
 & calamus; Tibia gingrina seu piffa-  
 ro, Skallmey; Tibia utricularis, Säf-  
 fepipa; Lituus seu cornetta Zinck; Dul-  
 cisonans dulcian: Photinx, Krumhorn;  
 & quod latinis κατ' ἐξοχήν organon, nobis

Orgwårct̄ dicitur, quod omnium instru-  
 mentorū perfectissimum est, & propter  
 concentus svavitatem, omni admiratio-  
 ne & laude dignissimum, dicente Polyd.  
 Virg, de Invent. rerum, quare & ad  
 modulos ejus svavissimos, in templis no-  
 stris psalmi ferè omnes rythmo adstri-  
 cti, ante & post concionem, etiam sub  
 Eucharistia religiose aptantur & canun-  
 tur. Meminit cujusdam Organi in Græ-  
 cia usitati, Athenæus l. 4. Dipnosoph. c.  
 23. F. 174. quod Hydraulicum, non multū  
 quidem specie â nostris Organis ablu-  
 dens, nisi quod fistulæ ejus flatum ab  
 aqua accipiebant, cum in nostris flatus  
 ab aëris motu immediate proficiscitur.  
 Unde Hydraulicum ἀπὸ τῆ ὕδατος, aqua &  
 αὐλέω sono, & qui hoc utebantur Hy-  
 draulæ nominabantur. *Acceptit illapsu a-  
 que Spiritum, fistulis in aquam obversis, &  
 aquam juvene quodam agitante, axibusque  
 præterea pervadentibus. Sic enim fistulis im-  
 mittitur spiritus, lenemque sonum illæ reddunt.*  
*Ad quem morem primum in Francia, Organa  
 circa A. D. 828. ad aquas graneas industria  
 cujusdam Georgii Veneti Sacerdotis fabricata*

refert Aimonius l. 14. de gest. Franc c. 114.  
 Doct. Joh. Frid. Mejer in Museo Ministri  
 de Organis quibusdam eximiis sua lingua sic :  
 Leander (welches auch *Majolus* erzehlet) *Collog.* 23.  
 schreibet/ das er zu Venedig eine sehr wohlklingende  
 Orgell/ aus lautern Glase gemacht/ gesehen habe;  
 Es ist auch eine Orgell/ darin die Laden. Pfeiffen/  
 Clavier/ und Blasbälge von Alabaster (welcher  
 Stein auff dem *Boletereanischen* Acker wächst)  
 gewesen/ gesehen worden/ welche der Kunstreiche  
 Meister von Neapolis / als er sie verfertigt / und  
 überaus wohlklingend zugerichtet/ dem Herzog Zu  
*Maneua/ Friderico* gebracht/ und sie ihm verehret.  
*Leander in Thuscia* bezeuget/ das er dieses aus  
 der massen wunderbarliches Werk selbstem gesehen  
 habe. Dergleichen Positivffe/ da nicht alle in das  
 ganze Gehäuse und Clavier/ sondern auch die  
 Pfeiffen von eittel Glas und Alabaster gemacht.  
 Ist aus obgedachten *Historicis* gnugsam zu ersehen.  
*Hæc ille. Quid Organis circa A. D. M. cccc. lxxx.*  
*accesserit, docet Sabellicus 8 Enn. 10. ita inqviens;*  
*Sixti IV. Pontificis tempore, Musica artis virum*  
*omnium qui unquam fuerunt, sine controversia*  
*prestantissimum, plures annos Venetia habue-*  
*runt Bernhardum cognomento Theutonem, ar-*  
*gumento gentis in quâ orsus esset. Primus is*  
*in Organis auxit numeros, ut 6 pedes quoque*  
*juvarent concentam fuvicolorum attractu. &c.*

## §. VII.

Sed pergimus à generalioribus hinc, scopum oblique ferientibus, propius ad institutum, ubi argumenta pro legitimo Musicæ organicæ usu in templis militantia, lubet resciscere. Non quasi ex professo elaboranda suscipiamus, sic enim intra limites Theologiæ pedem intulisse censebimur, sed ut melioris doctrinæ gratia, quin & majoris utilitatis, ordine ea saltim circa singula momenta sectemur, quæ philologicum saporem præ se ferre videbuntur. Deprehendimus primò aliquam necessitatem Sacræ Musicæ ex conformitate cum præcepto 2. Decalogi primæ tabulæ; Nimirum DEUS, cum sanctissimi sui Nominis laudes exigit, omnes infimul modos, quibus laudatio ritè peragitur, modo possibiles sint, imperavit, adeo ut nec gestum religiosæ saltationis excluderet, nec organa, quorum vel species diversæ varium mnemonicum præstant usum, ubi ad ea comparanda sumtus suppetunt. Eleganter sane Dn. Doct. Dannhauer in ὁδοποιεῖα  
cal.

calvinistica Part. 2. Phantas. 6. pag. 1255. *Cogitemus in organica harmonia Ecclesie concordiam: in buccina novissimam tubam Archangeli: in cymbalis jubila infantum à DEO excitata: in tympano carnis mortificationem: in hymnis conjunctis cum τοῖς Ὑψιλαφητοῖς DEUM laudandum esse non solum ore sed & manu & corpore.* Etiam si Musicam organicam cultus Divini substantiam intrare, neutiquam contendamus, cum eam altiori censu non fovemus, quam ut sit vel ornamentum Ecclesie, vel tanquam res media ad ædificationem faciens, & sacrum concentum majori melodia uniens; Quare iterum laudatus Dannhæwer citati operis pag. 1244. de Musica Organica sic: *Si hoc ornamenti genus extra Ecclesiam decorum habetur, cur exulet ab Ecclesia? cur non possit Ecclesie bono consecrari, sicut aurum Ægyptium vindicatur à prophanò usu? Annon licet filiis lucis esse prudentioribus filiis noctis: ut qua re hi abutuntur ad sua noctis opera, illi uti possint ad lucis opera sancta.* Quin quoque verissimi-



simile videtur, Adamum peritia Mu-  
 sicæ instrumentalis omni haudquaquam  
 caruisse, cum homo laudis & gloriæ  
 Divinæ promovendæ studiosissimus fa-  
 cile eam obtinere potuerit, ab insitis  
 fecundissimæ sapientiæ reliquiis, & per  
 verbum à DEO traditur. Nam ipsa  
 inventio artis, Jubali trinepoti Adami,  
 Gen. 4. Ubi *Pater canentium citbara & or-  
 gano vocatur*, adscripta, commodè intelli-  
 genda venit de prima cultura & expoli-  
 tione ejus, majorem ad voluptatem con-  
 ciliandam, & Jud. Doct. Luth. *Adamo po-  
 tius hæc laus debetur, quod artium principia  
 posteris suis commonstrare potuerit, ipse scil. à  
 DEO doctus*. Parum autem audiendi sunt  
 impostores illi, qui ut puræ religionis es-  
 sentiam impie labefactant, sic & ea quæ  
 eidem arctè adjacent lubruiere conantur,  
 adeoque Musicam Organicam dum è  
 Templis eliminandam cupiunt, eam ne-  
 scio qua fronte ad Pædagogiam Molai-  
 cam, & cultum ceremoniale V. T. ab-  
 legent. Verum quam hoc sit *secundum fa-  
 ciem, non justum iudicium*, in promptu est  
 dice-

dicere; nam pari jure posset quis etiam de Musica vocali id ipsum inferre, constat quippe Moſen quoque carmen illud, quod in honorem DEI ob liberationem à ſervitute Ægyptiaca composuit, Iſraelitis ore decantandum injunxiſſe, adeoque primi cantici, cujus meminit Spiritus DEI, auctor exiſtit, hinc illationem, cum nec ipſi adverſarii concedant; Quid quæſo inter utramque intereſt, niſi quod organica vehementius, vocalis autem ſvavius aurem demulceat, ideoque ſit longe delicioſior; imo quod Miriam Aaronis ſoror tympano laudes DEI cecinſſe legitur, certum eſt, id eam non feciſſe ex ſingulari aliquo Moſis præcepto, ſed ex communi non tantum Iſraelitarum, verum omnium ubique gentium more; nam liquidum ex annalibus ſit, non apud cultiores duntaxat populos, ſed ipſos etiam extrema barbarie damnatos, dum ſolennis & publica ſignificaretur lætitia, id elegantiariorum instrumentorum concentu fieri ſolitum. Adde quod *nihil certè Mo-*

*saicum dici & cultus ceremonialis pars censerit  
 debet, nisi quod à Mose ita præceptum, ut  
 vel typi in Christo & per Christum adimplendi  
 rationem habuerit, vel Ecclesie Judaica qua tali  
 ita proprium fuerit, ut ei soli et semper con-  
 veniat & plane Judaismum præ se ferat.  
 Quod de Musica Organica haud facile di-  
 xeris, si cogitaveris eam ab gentium Do-  
 ctore in N. T. quoque commendari. Qui  
 non hymnorum tantum, sed & Psalmo-  
 rum, & canticorum spiritualium neminit.  
 Quæ Hilarius non ineleganter discernit  
 in Proleg. Psal. p. 336. In Musicis, inquit, ar-  
 tibus hæ sunt officiorum & generum varietates.  
 Psalmus est, cum cessante voce, pulsus tantum or-  
 gani continentis exauditur. Canticum est, cum  
 cantantium chorus libertate sua utens, neque in  
 consonum organi adstrictus obsequium, hymno ca-  
 norum tantum vocis exultat. Canticum autem Psal-  
 mi est, cum organo præcinnente, subsequens &  
 æmula organo vox chori canentis auditur: mo-  
 dum Psalterii modulis vocis imitata. Psalmus  
 vero cantici est, cum choro antecanente hu-  
 manæ cantionis hymno ars organi consonantis  
 aptatur, vocisque modulis præcinnentis pari  
 psal-*

*Psalterium suavitate modulatur. Et brevius*  
 Basilius Magnus in Psal. 29. *Psalmus est*  
*oratio musica, quando concinne juxta ratio-*  
*nes metricas ad instrumentum pulsatur. Hy-*  
*mnus est canticum laudes DEI complectens:*  
*Ode est vox concinna, ad numeros edita abs-*  
*que instrumenti concentu. Pertinet huc,*  
 quod Pasor in Lex. N. T. pag. 710. do-  
 cet, ψάλλειν propriè *tangere* significare;  
 Unde apud Eurip. dicuntur Musici ψάλλειν  
 χορδὰς, *tangere chordas, fides*, quod Ger-  
 mani dicunt die seitten schlagen. a ψάλλειν  
 descendunt ψαλτήριον de quo infra,  
 & Δαψάλμα, vox a LXX. virali interpre-  
 te in Psalterio Davidis sæpius frequen-  
 tata, cui in textu Hebræo respondet se-  
 lah הלל. Est autem de diapalmate non  
 omnium eadem opinio, aliis per *ryth-*  
*mi seu metri commutationem*, aliis *pausati-*  
*onem spiritus*, aliis *alterius sensus exordium*,  
 aliis *rythmi distinctionem* reddentibus,  
 Doctore Hieronymo in Epist. 138. quæ  
 est ad Marcellum, ubi & super hac re  
 sententiam profitetur suam: Ex quo, in-  
 quiens, animadvertimus hoc verbum Δαψ-  
 ψαλ-

ψαλμα superiora & inferiora connectere, aut certe docere, sempiterna esse quæ dicta sunt.

Scire autem debemus apud Hebræos in fine librorum, unam esse tribus solere subnecti: ut aut amen מֵן scribantur, aut Selah מְלֵחַ אוּ Salom מְלֵחַ quod exprimit pacem. similiter alibi; sed & hoc, ait, quod LXX. transtulerunt Ἀειψαλμα, & nos posuimus semper: Symmachus interpretatus est εἰς τὸν αἰῶνα, i. e. in æternum. Theodotio: εἰς τέλος i. e. in finem. Ast quid multis; exhibet enim nobis veram significationem vocis Selah, Vir non dubiam in his fidem promeritus, Dn. Doctor Pfeifferus in Dub. Vex. Cent. 2. Loc. 49. Vox. מְלֵחַ est Symbolum seu memoriale non modo pause musicæ, sed & attentionis, adhibita ad exci- tandam devotionem, utque præcedentia melius ponderentur.

#### §. VIII.

Qvin porrò ex mente doctorum ad- vertimus, haud exiguum conferri momentum, ad adstruendum usum organorum in templis, exemplum Ecclesiæ Judaicæ in V. T. quæ vi intimatæ legis

legis omnibus fere sæculis ea ad sacra sua adhibuit, & quidem jam inde à temporibus Mosis, ut claret Levit. 23. 24. adde Num. 29. 1. Quibus in locis injicitur mentio festi Tubarum, die prima mensis septimi *Tisri* juxta computationem sacram, nobis novilunio septembri, solenniter celebrati. Fiebat dies hic clangore seu tonitu harmonico tubarum conspicuus, *ab aurora usque ad occasum solis*. Quo Davidem Psal. 81. non ambigimus respexisse; *Clangite in novilunio buccina, in interlunio die festi nostri*. Rationem autem tam solemnem buccinationis forsitan hanc fuisse colligas, quod hic dies *Tisri*, juxta calculum civilem, caput anni politici constituerit, ex quo capiebatur initium computationis negotiationum, contractuum, & annorum, juxta Philologos non paucos, tam Sabbaticorum quam Jubilæorum, ideoque tubis à Sacerdotibus clangebatur, ut populus hoc pacto excitaretur, ad agendum DEO pro omnibus præteriti anni beneficiis gratias læto animo, &

quæ-

quævis fausta invicem in annum se-  
 quentem comprecanda, imo ut eo ob-  
 servabiliorem redderent diem novi an-  
 ni, cum cæteræ Neomeniæ, in quibus  
 quoque festivus tubarum sonitus fiebat,  
 Num. 10. 10. non tam ingenti clangore  
 notarentur. Atque indè novus annus  
 Num. 29. יום תרועה ἡμέρα ἀλαλάγματος,  
 dies clangoris prædicatur. Modernos  
 apellarum suis in Synagogis die, qui an-  
 no natalis est, cornibus arietinis strepe-  
 re, tradit Buxt. in Synag. ubi de illis  
 fusius. Legimus Lev. 25. Annum Jubi-  
 læum quovis anno quinquagesimo obser-  
 vatum sono buccinarum pariter solem-  
 nem fuisse, id quod ipsam vocis etymon  
 innuere videtur, adcuratoribus, יובל  
 denotat *arietem seu cornu arietinum*, ex  
 quo Thomas Goduvinus in tractatu  
 inscripto Moles & Aaron lib. 3. cap. 7.  
 pag. 307. conjicit annum *Jobel* a יובלים  
*cornibus arietinis dici, quorum clangor tum*  
*temporis totam regionem personabat.* Con-  
 ferfis. Jos. c. 6. v. 4. ubi *septem sacerdotes*  
*gestabant septem buccinas arietinas coram ar-*

ca DEI. Marbachius vèro annum Jo-  
 vel à יובל Jubal dictum contendit, id  
 quod apud Philologos & antiquarios  
 non utique applausum invenit. *Festum*  
*hoc mysticè figurasse spiritualem Jubilæum,*  
*quo gaudent Christiani sub Christo, cujus*  
*sanguinis beneficio, non solum redditus nobis*  
*est redditus in regnum cælorum; verum etiam*  
*clangor Evangelii, qui adumbratur clangore*  
*tubarum, perrupit orbem terrarum. Et sic*  
*Jehovah clanxit buccina, uti loquitur Zach:*  
*c. 9. v. 4. non male refert idem Godu-*  
 vinus citato opere & loco inter alia ad-  
 juncta anni Jubilæi, qui consulatur. E-  
 quidem à Mose, ad Davidem usque  
 variis musicis instrumentis, in festis suis  
 non usam legimus primitivam Ecclesi-  
 am Judæorum, sed hujus rei causam  
 ipsæ sacræ literæ subministrant, cum Is-  
 raëlitæ, ante tempora Davidis, non tot  
 annorum modo spatio in deserto pri-  
 mum perigrinati, verum in Patria quo-  
 que Canaan variis variorum hostium  
 insultibus perpetuo impetiti fuere, imò  
 arca fœderis, præsentia Divinæ Sym-



bolum, erat semper mutans loca Tabernaculi ( ut verba DEI sonant 1. Par. 17: 5. )  
 Et in tentorio cum omni Israhel manens, adeo ut nullo stabili & fixo loco gaude-  
 ret, cui inhabitaret. Et quamquam DEO  
 grata ac fidelibus ad ædificationem, uti-  
 lis semper fuisset diversorum lyave so-  
 nantium organorum melodia, cum ta-  
 men inter tot incommoda Ecclesiæ, hocce  
 adparatu commode frui non licuit, ca-  
 rere fortassean poterant. Postea autem  
 quum David, devictis & pulsis undi-  
 quaque hostibus, regnum universum  
 tranquilla confirmasset pace, edificavit locū  
 iuxta Dei tenditque Tabernaculum Hierosolymis,  
 in quo tandem quiesceret. Ubi Prophe-  
 ta regius non psalterio solum ipse usus,  
 verū etiam Domum DEI vario genere in-  
 strumentorum τῶν ψηλαφητῶν καὶ πνευμα-  
 τικῶν decoravit, vid. 1. Par. 16. 42. tam  
 exquisite quidem, ut legamus cohortem  
 musicorum in quatuor hominum mil-  
 lia excrevisse, inter quos ducenti & o-  
 ctoginta octo, qui alios erudirent, erant  
 1. Par. 25. Ne simus v. simplices adeo,  
 ut

ut existimemus cantores hoſce nil præter brutum ſtrepitum edidiſſe, exerte dicit Spiritus DEI, 1. Par. 16. 7. Davidem feciſſe principem ad conſitendum Domino Aſaph & fratres ejus. Ad conſitendum Domino, hoc eſt, ad Hymnos Sacros DEO alta voce canendos dum ſonarent inſtrumenta muſica, dicente Durello. Cujus veſtigiis inſtituiſſe filium Salomonem & Regem Ezechiam ex 2. Chron. 29. colligas, ſeqventes reges Juda pariter hac arte gaviſos, ex Amos. c. 6. Sic & tempore afflictionis, Signa luctus ac doloris inſtrumenta Muſica fuiſſe, ex Joel, 2. 15. clare legas. Hinc apprime in rem noſtrã facit quod clar. Buxt. ex Cosri in tract. de punctis & accent, Orig. part. 2. cap. 9. pag. 361. adducit: *Scientia Muſicæ præ aliis floruit & exuleta fuit olim in gente noſtra, quæ melodias ſeu modulandi modos diſtinguebat, & maximis in populo demandabat, filiis ſcilicet Levi, exercentibus eam in Domo præſtantiffima (Templo) & temporibus præſtantiffimis (in feſtis & oblationum tempore) atque ut tanto melius huic rei in-*






cumbere possent; immunes erant a cura victus & sustentationis suæ ( accipiebant enim eam ex decimis ) nulli alii rei vacabant, præterquam Musicæ. Ars autem hæc erat honoratissima inter homines, prout per se revera non vilis aut vulgaris censeri debet. Populus quippe ( qui scilicet operam dabat ) erat ex radice nobilissima; quin & ex capitibus ipsorum nonnulli in hac arte occupabantur, veluti David & Samuel. Ex quibus dilucescit, quanti facias spiritum ἀρχαῖον Parei, qui dum Musicam instrumentalem ejicere studet, asserit DEUM tibias, tubas & tympana, Judæis tanquam duræ cervicis & stupide mentis populo olim indulgisse. Ita enim usus organorum in se vitiosus fuisset, unde illud absurdum, Davidem, id quod sua natura vitiosum DEOque abominabile esset, in laudem ejus præcepisse, Psalmis 33. 2. & 92. 4. & 150. 3. 4. 5. Imo & ipsum qui oraculo Divino vir secundum cor DEI audit, duræ cervicis fuisse; sed quis non videt hæc etiam Spiritui Sancto objici. Hoc tantum nos adjicimus, quod David haud dubie spiritu prophetico,

instrumenta Musica magnæ devotionis gratia, Levitis exercenda commendarit; ita enim de Davide habet Josephus l. 17. Antiq. Judaic. *Ceterum David perfunctus jam bellis, ac periculis & in altissima pace degens, vario genere carminum Odas & Hymnos in honorem DEI composuit, partim trimetro versu, partim pentametro, instrumentisque musicis comparatis, docuit Levitas ad pulsum eorum laudes DEI decantare, tam sabbatis diebus quam festivitibus. Quid; quod & ipse maximus Vatum varia instrumenta invenerit & fecerit, teste eodem Josepho allegato loco; diversaque faciens organa, docuit, ut Levite secundum ea DEO hymnos edicerent.*

### §. IX.

**H**ic non inconveniens erit,, præcipuas Organorum species ex auctoribus fide dignissimis obiter describere. Observamus autem in antecessum, vocem Hebræam נגינות nomen esse generale omnium instrumentorum tactilium & fidibus constantium; quod tam ex etymo generali, appellatur enim sic Neginoth à tangendo vel

*pulsando* scil. fides; quam ex terminati-  
 one plurali exploratum est, & cum au-  
 ctore *Schilte gibborim* & Kirchero, asse-  
 rit Doct. Pfeifferus in *Dub. Vex. Cent.* 3.  
 l. 51. pag. 558. ex quo, quum alios con-  
 sultare non licuit, hæc quæ vides excer-  
 psimus, quin & Schemata Instrum. Heb.  
 ex codice Pfeiff. cum forsitan non omni-  
 um manibus teratur, in gratiam Lectoris  
 huc transferri curavimus. Fuere au-  
 tem potiora, inter instrumenta כגיבורת seu  
 ψηλαφηνή vel quæ manu aut plectro tan-  
 gebantur, קשקש Psalterium, de quo quam-  
 vis alii non instrumentum, sed modum  
 canendi fuisse pertendant, interim Hie-  
 ronymo & Hilario laudatur organon  
 chordis instructum, nam psallendi ver-  
 bum auctore Svida *summis digitis chordas*  
*carpere* significat. De forma quidem in-  
 ter auctores non convenit, Hiero-  
 nymus tamen vult in modum *quadrati*  
*clypei fabricatum* 10 chordarum fuisse;  
 alii autem instar *harpe nostratis*, vel in  
 modum litteræ Δ fictum ajunt, quidam  
 cum nablio confundunt. Sed Pfeifferus





ex Kirchero, & hic juxta ex antiquo codice Vaticano hanc Psalterii repræsentat Fig. A. נבל quod LXX. per *σαῦλον*, Vulgatus lyram, & Pagninus nablium expriment, instrumentum fuisse fidicinum, & fidibus 22. in 3 octavas directum, asserit auctor *Schilte gibborim*. כנור *κινύρα*, eodem auctore ad hodiernæ citharæ similitudinem 32. chordis reddebatur. מַחֹל *machol*, ut *Viola di gamba* 6. מִנִּים *minnim*, ut *chelyn* 3 aut 4 fidibus constasse, tradit. Kircherus autem exhibet nablium sub Figura B. Kinnor ceu citharā, C. *Machol*, E. *Minim* verò speciē *chelys seu testudinis* habere testis est. Porro *κρουσών* seu *pultatilium* præcipua fuere, *תוף* tympanum cujus Fig. vide sub lit. D. quo Miriam & filiam Jephthæ instructas legimus. מוֹעַבֵּי I. Sam. 6.5. אֶמֶבֶּי *movia fese*, *commotus agitatus fuit*. Pagninus reddit *commoventibus*; notat enim vox hebræa *con-*  
*cussionem crebram per geminationem litterarum radicalium*. Ab Ægyptiis inventum hoc organum, & sacris eorum valdè u-



sitatum ostendit Piscator Herborn. Germanice Ægyptisch Klang-Rohr. Auctor Schilte: *Instrumentum hoc fuisse tabulam quandam ligneam quadratam, in cujus capite manubrium fuerit apprehensioni aptum, supra tabulam autem hinc inde fuisse globulos ligneos aut aeneos catena ferrea aut etiam supra tabulam extense chordæ ex cannabi insertos, percussa que tabula globulos illis tum inter se, tum cum tabula sonum edidisse clarissimum ex remoto perceptibilem.* Schema ejus vid. sub F. Cæterum Sistrum Ægyptium, cujus Kircherus T. II. p. 185. meminit, tale fuisse affirmat, quale sub lit. G. conspicitur. Disputat præterea Kirckerus T. I. p. 52. de alio instrumento pulsatili, scilicet עצי ברושים, quod tandem cum auctore Schilte, mavult fuisse lignum abiegnum simile mortariolo, quod pulsatum sit alio ligno, ut sub lit. H. videre est. E flatilibus & Pneumaticis princeps fuit משרקתא & ejus figuræ illud fuisse affirmat Kirckerus, quam lit. J. repræsentat. Cæteras species pneumaticas, conjecturaliter describit Kirckerus,

nam

nam valde eas confundi dicit, & קרן seu  
 cornu (Cornette) tribuit figuram K. & L.  
 אבוב formam M. & חליל tibiā N. Nos  
 cætera consulto præterimus, præsertim  
 cum judicio Cunradi Dieterici in An-  
 tiq. 6 lib. p. 349. *Musica, ait Hebræorum tan-  
 tis est difficultatibus obnoxia, ut ad prima  
 principia difficillime reduci possit; Inde tot  
 interpretum discordia, totqve obscure & in-  
 certa conjecturæ de verborum orationumq; in-  
 telligentia.* Qui ibidem addit: *Si exactam  
 veteris musicae rationem teneremus, quæ pri-  
 sci sunt usi, præsertim Ebræi, dilucidius in-  
 telligeremus multa Scripturæ dicta.* Proin-  
 de perplexas & dubias conjecturas de-  
 finimus. Certum interim hoc pronun-  
 ciare audemus, quod *Musica Hebræorum  
 sine dubio perfectissima fuit, & excitans ala-  
 cresqve reddens animos, quemadmodum vul-  
 go de ea dicitur, quod animum possit a propri-  
 etate una permovere ad contrariam.* Uti su-  
 pra allegatus Buxt. in tract. de punct. &  
 accent. Orig. ex libro Cosri habet. Et hæc  
 ejusdem claudimus verbis Cunradi, in  
 Ant. Bib. p. 351. *Varia fuere chori Musi-*

corum, qui vicissim inter se diversis canebant organis. Interdum vox precedebat eam, & retinebat aptis modulis organon. Interdum organon precedebat, cui succinebat vox. Interdum concinebant pariter & voces & organa.

§. X.

**M**usicam etiam in Ecclesiam N. T. primitivam, pio zelo inventam & frequentatam, docet Scaliger l. 7. de emend. Tem. in explicat. comp. Æthiop. de Christianis in Ecclesiis Æthiopicis. Ubi refert, eos ex veteris instituto cymbalis, citbaris & symphonicis adhuc liturgiam hodie celebrare. Eusebius in Hist. Eccl. l. 10. c. 4. ostendit, quod Primitiva Ecclesia, pro Musicis peculiare habuerit choros in Templis, ad movendos affectus & compunctionem cordis. Quare fatetur Hipponensium Episcopus se flevisse in hymnis & canticis DEI, s'vavesonantis Ecclesie vocibus commotum, ex quibus astuarint in se affectus pietatis; Ut de se ipso testatur l. 10. Confess. c. 32. Et quidem adeo ejus ævi Christianos Musica delectatos, notat

Phi-

Philo apud Eusebium Hist. Eccl. c. 16. p. 24. ut nullam unquam majorem voluptatem senserint, quam dum suavitate *Psalmodum & Hymnorum* afficerentur. Idcirco eos quoque in conviviiis, imprimis vero in agapis suis, quæ refocilandis pauperibus exhibebantur, *pias, pudicas & modestas harmonias* habuisse, observant Tertul. Apol. c. 39. T. I. & Clemens Alexand. l. 2. c. 4. Successu autem temporis non tantum in locis DEO sacris, verum quoque in aulis suis, pii Reges musicos ad excitandam spiritualem devotionem & gaudium fovenerunt. Quod de Constantino Magno, Carolo Magno & Theodosio tam majori quam juniore, satis superque assertum eunt memoriæ temporum. Theodoret. l. 3. c. 19. Hist. Eccl. p. 393. monstrat reges Christianorum tunc temporis eo fere ritu, templis ac publicis conventibus Musicam utramque in honorem DEI consecrassent, ac nunc in cætu fidelium celebratur. Quamquam prioribus multis sæculis, Ecclesia primitiva

tiva Musica organica caruerit, cum ipsa tum in conticinio barbariei sub gravi persecutionum pondere fere obruta jacuit, adeo ut vix ei sufficerent facultates alendis antistitibus Christi & aliis verbi Divini Ministris, tanto minus comparandis organis; imo absurdum fuisset, ut cum Durello in Eccl. Angl. vindic. adv. Schismat. Grim: pag. 326. loquar: *qvo tempore vox illius columbe gemitus, & cantica lamentationes erant, Si tunc Musicam organicam in sacris suis adhibuissent.* Subfidente autem persecutionum æstu, postquam prosperiori rerum statu, DEI beneficio, fidelibus frui concessum erat, non tantum psallentium chori instituebantur, sed & subsequen- tibus sæculis splendidiora templa extructa, omniaque decentius majori apparatu peracta erant, ubi & ipsa Musicæ ars dispensante & inspirante DEO, magis magisque indies excolebatur, adeo ut tandem res mirabilis haberi cæperit, quod de illo pneumaticæ Musicæ instrumento, quod organon κατ' ἐξοχήν dicitur,

tur,

tur, præprimis afferendum erit, eo enim vix aliud ad devotionem ac gaudium spirituale exitandum efficacious, quapropter merito aliis instrumentis antefertur. Fabric. in Poëtica pag. 95. dicit suo tempore, *Organa facta esse, ex disparibus tubis stanneis, invento non admodum veteri, sed valde præclaro.* Dolendum autem, quod primus inventor tam præclari muneris divinitus concessi, ingrata oblivionis caligine maneat sepultus; utut enim summa cum diligentia inquiratur, nihilominus teste Polyd. de rer. Invent. Inventor organorum pneumaticorum *magno sane suæ gloriæ damno in nocte densissima delitescit.* Tempus quoque inventionis organorum valdè controversum est. Parlæus, *Angliæ Episcopus Vitellianum patria Signinum vel Campanum, insignem Musicum, cantum,* scribit, *in templis circa Annum D. 660. Et organa per consonantias humanis vocibus adhibuisse.* Cui suffragatur Gantius l. 2. Metrop. Sed quò pacto hoc consistere possit, ambigo, cum & Guido

do dicat *jam tempore Boëtii, qui An. Ch. 487. floruit organa viguisse.* Sed hic meritò, operam suspendimus, cum satius habeamus, *certa tradere paucis, quam incerta multis persequi.* Concludimus ergo usum Organorum in templis ubicunque ea saltim haberi possunt, in hodiernum jure, & ad exemplum principis Ecclesiæ retineri, cum juxta certum sit, pios reges V. T. Davidem, Salomonem, Josiam, qui speciale mandatum de inducenda musica instrumentali à DEO habuisse nusquam in Sacro codice leguntur, neutiquam id privato ausu, nec ex peculiari Mosis præcepto, vel ut cultus ceremonialis appendix sit, fecisse; Sed procul dubio ex generali illo mandato, quo singuli obligamur, ut quæcunque ab homine proficisci possunt, ad gloriam Summi Numinis fiant, in quibus cum sit Musica; rectissime proinde, libere interim, tum in eorum, tum etiamnum in nostris Ecclesiis adhibentur. Maneat ergo suos auctores impietas, qui Musicam tanquam rem in se inho-

ne-

nestam, intempestivo zelo, imo adhibitis quoque equis Organa majora è templis eliminant, ut Jac. And. refert. Nobis interim nostra faciemus verba Baldv. in com. sup. Epist. Pauli ad Col. pag. 1098. *Tollatur abusus, sit Musica in templis non lasciva, sed gravis, sive voce viva, sive instrumentis inanimatis constat, nihil in se impietatis habet, sed potius ab Apostolo Paulo commendatur.*

§. XI.

Sic per quendam *κακοζήλιαν* nationes quoque in Sacris suis instrumenta Musica usurpasse legas, quia nescio quid Divini in animis nostris imprimit vis musica, ita ejus ope se commode istud efficere posse putabant, quo animi presentium hominum à privatis cogitationibus, diverterentur ad Deorum immortalium reverentiam. Imo & jucunda ac svavi harmonia ipsos DEOS magnopere delectari, arbitrati sunt. Quoniam musicalium instrumentorum soni non sine voluptate aëra permovent, Hinc Jovi quidem, cum mens illa *suprema Divina* crede-

ba.



batur, non ministrabant nisi lumina in sacrificiis; at cum pars aëris summa suspiciebatur, musica instrumenta requisivit, dicente Natali Comite Mythologiæ pag. 35. In sacris quoque Bacchi & aliorum Deorum *κυμβαλιζουτες καὶ τυμπανίζουτες* audiebantur, teste Arriano. In cultu *Matris Deum* memorat Ovid. l. i. de ponto:

*Ante Deum Matrem cornu tibicen adunco,*

*Cum canit, exigua quis stipis ara negat,*

Pergit idem in describendo tiliarum usu l. iv. fastorum:

*Temporibus veterum tibicinis usus avorum*

*Magnus, & in magno semper honore fuit.*


*Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:*

*Cantabat mastia tibia funeribus.*

Quin exindè in homines lautè non suo sed alieno viventes sumtu, ortum proverbium: *αυλητῶ βίον ζῆς*. i. e. *tibicinis vitam vivis*, asserit Svidas in Lex. voce *αυλητῶ*. & dicit, de his (scil. dictum est proverbium) *qui ex alieno vivunt*.

Quia tibicines observatis vis, *qui sacrificium faciunt, ex immunitate*. h. e. sumtuum

im.

immunes vivunt. In pythiis, ludis Apollinaribus, antiquitus ferebant decertationes Citharædorum *pæanem in laudem DEI canentium*. Sic enim Strabo l. 9. Geograph. *Certamen, inquit, apud Delphos antiquitus fuit citharædorum pæanem in laudem DEI canentium. adjecerunt autem citharædis tibicines, & qui Citharâ luderent sine cantu modularenturque carmen, quod ῥόμῳ*  *sive modus πύθιος, pythicus dicebatur. Et Pausanias in Phocicis l. 10. cum cepti, ait, jam essent pythici ludi celebrari, antiquissimum fuisse omnium certamen memorant inter eos, qui præmio proposito hymnum in Apollinis honorem cecinissent. Et pauxillis interjectis; Renunciati sunt victores à citharædis Cephalon Lampi filius. Echembrotus Arcas; de tibiis Sacadas Argivus, &c. Sed sufficit nos hæc indicasse; justam enim in has Africanas tractationem nec ipsi volumus, nec forte pietatem Christianam amplexus Lector exiget.*

§. XII.

**A**t sicco, quod ajunt, pede non mihi prætereundum esse video, quod de

D

Da-

Davide Sacrae paginae referunt, eum  
 cithara cacodæmonem è Saule expulsi-  
 se, undè colligas illum harmonica pro-  
 portione valdè offendi: Licet autem  
 quid Spirituale & extraordinarium  
 instrumento huic Davidico omninò  
 subfuerit, cum illud piis & sacris  
 tantum cantionibus dicaverit, id quod  
 abundè Liber psalmorum comprobat;  
 interim aut omnino fallimur, aut aliqua-  
 tenus in sphaera naturali quoque invi-  
 sam legitimam Symphoniae concinni-  
 tatem diabolo esse putabimus, adeò ut  
 eam agrè sufferre ac pati possit. Id  
 enim servi Saulis experientia edocti  
 probè noverunt, proindè non Prophe-  
 tam seu pium Vatem, sed Musicum pe-  
 ritum postulantes qui regem à cacodæ-  
 mone vexatum sua arte liberaret. Et  
 conjicit Huartus dæmones certas qua-  
 litates corporeas mira cum animi de-  
 lectatione adpetere, & contrarias vicif-  
 sim adeò exhorrescere, ut nè momen-  
 to quidem eas tolerare possint. Undè  
 fortassis Dæmon, dum effectum magni  
 mo-

momenti producere conatur, qualitatibus utitur corporalibus, iis scil. quibus pro arbitrio ac voto suo commodè finem actionis suæ consequi valeat. Quare Evam decepturus, non in corpus ursi, lupi, aut alius animalis, sed potius in venenatæ serpentis sese immisit viscera; nam adustam choleram humorem esse eum in confesso est, ex quo animalia insidiosa ac fallaciarum plena existunt, adeoq; vix aliud brutorum animalium, tantopere ab hoc humore participare, quam serpentes, cum oraculo Divino bestia reliquarum animantium astutissima & malitiosissima sit. Ideo enim majorem in corpore hujus feræ, quam ullius alterius, ingenio ac astutiæ suæ usum fore prævidit ille salutis humanæ juratus hostis. Et quanquam largior, Musicam utpote rem corpoream, per se in Diabolum ut spiritum nihil posse, tamen aliquid per accidens valere contendo, præsertim cum in propatulo sit, humano in corpore dispositiones ejusmodi fieri, quas tanto desiderio Dæmon adpetit,

ut si quando iis frui possit, hominem corripit. & usque dum vigent, obsessi in corpore commoretur. Atque per aliud non æque patere Diabolo aditum in animo nostro, quam per inordinatos & vehementes affectus, unde Paulus ad Ephes. 4. 27. *Sol ne occidat super iracundiam vestram ne detis locum Diabolo.* Qui affectuum æstus, dum per vim & efficaciam Musices, mærore vel furore pulso, subsidet, Diabolus ipse eo facilius, quo officinam sibi minus advertit commodam, cedit. In quam rem non piget allegare verba disertissimi Bochari in Hieroz. p. 463 *Exemplo sint radii solis, qui neque gladio secari, neque flatu extinguvi, neque ullo conatu averti queunt, ita ut vere dicatur nos in eos nihil posse. Radios tamen clausa fenestra ex cuenaculo excludimus; Ita quamvis Musica in Demonem directe nihil possit, eum tamen excludit, obstructo aditu, quo arcem animorum invadit.*

§. XIII.

Sed patet insimul hinc, quale sit factum Elifai, quum fidicinem coram se psallere

lere jussit, quo oraculi capacior fieret; nam ut piæ Musicæ opera, mittigatis affectibus & ad justum quasi temperamentum reductis, cacodæmon in exilium ejicitur, sic genius libertatis eâdem allicitur. Ita exerte nobis supra laudatus Bochartus: *Bonum spiritum accersit Musica, dum perturbatum animum pacat, & pia voluptate permulcet, ne in mente nostra quicquam sit, quod Sanctum Spiritum repellat, aut resistat ejus operationibus.* Cui geminum habes Gregorium H. 1. in Ezech. ubi per Psalmidiam, dicit, *omnipotenti DEO ad hominum corda iter, aperiri.* Equidem sic: dum fides pulsabat fiduciam fuit super Elisæum manus Domini. 2. Reg. 3. v. 15. In quæ verba Caspar Sanctius ita commentatur: *Cum res Israëlitica premente siti foret angustior, accinxit se statim ad opus Elisæus, nihil cunctandum ratus, & quo à Domino responsum acciperet, & quod esset opus factu doceret, acciri jubet psalten, cujus se numeroso cantico ad accipiendum à Domino responsum præpararet.* Mira scilicet est vis harmonicæ pulsationis ut &

vocis

vocis ad numeros musicos temperatæ, imprimis earum cantionum, quæ cætu religioso in Ecclesia decantantur, ad affectus vel remittendos vel incitandos, quod pluribus sequenti Thesi palam faciemus. Sic ocius id quod quærebat, assecutus est Elisæus, cum numeros aut cantus non alios quam sacris usibus destinatos audiverit, docente Theod. q. II. *David, ait Levitas uti iussit citharis & cymbalis & aliis instrumentis. Utantur autem ipsi Spirituali Davidis modulatione. Ex his unum iussit accersi propheta, illo autem psallente, quod erat agendum significavit gratia spiritus.* Addimus e multis quæ eleganter omnino in hac re Osiand. Theol. Mor. pag. 145. *Quod cum caneret Psalter ad musicos numeros, soporati sunt Elisæi sensus, & animus magis à corporeis impedimentis solutus, sicut in somno contingit, seipsum ad celestium rerum contemplationem afflatumque divinum excitavit.*

#### § XIV.

**E**t sane summi Numinis Sapientiam vel hinc venerari liceat, quod dum  
af-

affectuum genera produxit, etiam di-  
 versa, pro disparitate affectuum, signa  
 in sonis extare voluerit. Unde fit, quod  
 Musica per numeros concinnos & a-  
 ptos tantum in animos valeat, ut non  
 solum eosdem sibi voluptate afficiat,  
 verum insuper pro varietate sua, di-  
 versissimos affectus in pectoribus ex-  
 citet & formet. Causam rei citat Sca-  
 liger Exerc. 302. 2. *Quia spiritus, qui  
 in corde agitant, tremulum ac subsultantem  
 recipiunt in pectus aërem, atque cum affini  
 suo unum fiunt. Ita sequuntur spiritus re-  
 liqui, ceteris in corporis positi partibus mo-  
 ventque musculos aut cohibent, prout nume-  
 rorum lex vel crebrescit incitationibus,  
 vel tenore composito quiescit, aut lenitudine  
 quietem imitatur.* Etenim illud Musico  
 observandum ex Kircheri Musurgia a-  
 nimadverto; affectus dum cedere &  
 permovere tentat, primo adspiciat,  
 num animus, in quem incideris, rite di-  
 spositus sit, & auditus perfectione na-  
 turali gaudeat, cum alias irritus labor-  
 erit, & citius lapidem quam hominem



moveas; deinde ipsa harmonia seu numerus harmonicus concinnabitur ita, ut cum audientis interna quoad humores constitutione amicissime conspiret, neque enim harmonia Doria in quemlibet promiscue efficax erit, nisi qui pro natura cantus ejus animum bellicosum terrificum & severum præ se ferat. Quamobrem si quis feliciter variam in corpore humano humorum seu spirituum dispositionem intellexerit, iisdemque numeros harmonicos proportionaliter unire probe norit, spem dabimus certam, quod animum ad placitum suum huc illucque pertrahere possit. Cæterum tantum ad mentem Kirckeri. Esset quidem, fateor, multa disputanda super insigni Musicæ vi circa affectus ciendos, quomodo hæc secundum varia singulorum temperamenta & ætates, secundum Loci conditionem, anni & tempestatum vices &. quemque mire adficiat, pariterque quod tactus tardiores, motus & affectus in nobis generent segniore, quales langvor, tristitia & metus, &c.

At tactus velociores, affectus excitent magis concitatos quales amor, lætitia & plurima alia, quorum omnium rationem quidem à solertibus demonstrari posse haud repugno; verum quum ad illa quæ ab instituto nostro aliena sunt, revocent, ne in justo majorem molem excreseat opella nostra, ea consulto omittimus. Et breviter saltem colophonis loco, admiranda Musices circa animam & corpus ex rerum monumentis in gratiam Lectoris annotabimus; ut taceam quæ de Orpheo & Amphione tradunt poëtæ, quod arbores, saxa & feras movere potuerint, quæ aut aperte fabulosa, aut in mysticum sensum trahenda sunt, ut facit Horatius in arte. En; de Musices vi & efficacia non Poëtica sed historica fide constantia; meminit Albertus Krantzius in Daniæ suæ l. 5. c. 3. peritissimi cujusdam Citharistæ, qui à Rege artis specimen edere jussus, paruit quamvis invitus. *Et primum gravi sono marorem quendam audientibus ingerebat, inde succi-*

nendo plausibilius in letitiam vertit, ut paulum abesset, quo minus iocabundi dissultarent, tum modis acrioribus intentatis indignationem quandam concitabat, quæ ubi invaluit, furere regem astantesque cernere erat. Hermodogenes libro de Jdeis refert Thimotheum tibiis usque ad rabiem Alexandrum concitasse, & Lacedæmonios ad embatorium tibia sonum in hostes inruisse. item ajunt, inquit, Pythagoreos si quando affectus ipsis concitarentur, aut alios viderent iis correptos, per tiliarum & citharæ modulos animum ad mitiorem statum reducere. Idem in jamblico; Pythagoram, narrat, Juvenis cujusdam, cum lampade & tibicina noctu grassantis, & domum combusturi petulantiam coercuisse. Consonat quod in eodem Hermogene legas, cum protervus quidam adolescens cædem perpetraturus esset, Empedocles citharâ, quam forte manu habebat, sedatiorem concentum modulatus prohibuit, nè cædes perpetraretur, adolescentis animo per pacatiorem modulum sedato & delinito. Sic & in seditionem accensis Spartanis ad Terpandri Lesbii Musicam

cam

cam ardentis animi deferbuere & se-  
 ditio consopita; ut in proverbium abie-  
 rit res: μετὰ λέσβιον ᾠδόν, de quo Svidas &  
 Zenodotus. Geminum est: Agamemnon  
 Citharædum, qui laudes probarum mu-  
 lierum caneret, Clytemnestræ uxori cu-  
 stodem pudicitiae reliquerit, nec enim  
 prius illa ab Ægisto decipi potuit, quam  
 Citharædus occisus esset, Ath. l. 1. Di-  
 pnosoph. c. 11. Par in corpora Musicæ  
 vis, inde Martianus Capella l. 9. ita  
 Musicen loquentem inducit: *Quid; af-  
 flictationibus corporeis nonne assidua medita-  
 tione succurri? Febrem curabant vulneraque  
 veteres cantione. Asclepiades item tuba sur-  
 dissimis medebatur. Ischiades qui nesciat ex-  
 pelli (αυλική scil. tibiali) suavitate. Xeno-  
 crates Organicis modulis lymphaticos liberabat.  
 Thaleten Cretensem citharæ suavitate comper-  
 tum est morbos ac pestilentiam fugasse. He-  
 rophyllus agrorum venas rythmorum collatione  
 pensabat. Amatus insuper Lusitanus mor-  
 sum dicit phalangii solo musici instru-  
 menti sono curari. Est autem Phalan-  
 gium ut notat, Joh: Phil: Pfeiff, in Ant.  
 Græc.*

Græc. gent. l. 2. c. 64. *Aranei quoddam genus à Tarento urbe quæ nunc Taranto vocatur, Tarantola appellatum. Ab hoc morfi insecto tibicinum cantu quasi e gravi somno excitantur, atque inde parum compotes mentis subsiliunt ac tripudiant, donec lassati sudore diffuant, ac tandem concidant. Quid; quod ipsis feris Musicam placere assiduo usu compertum est. Muli enim valde tintinabulorum sonitu delectantur, adeo ut tintinabulis ad collum illorum suspensis sarcinas levius perferant. Equi tubarum clangore magnopere concitantur. Turturem quoque ajunt à Musica non abhorrere. Ælianus l. i. de. nat. anim. c. 39. Cantione, inquit, item ac Musica & saltatione nectura, velut voluptate educta, propè nassam capitur pastinaca piscis. Ex tot ergo testibus tam ἀποπταῖς quam aliis quorum fides nemini suspecta esse potest, ex tot inquam exemplis satis constat, suffragante ipsa in nobis experientia, Musicam non dubie temperare affectus, nosque jucundis modulis demulceri, tristibus deici, & alio quo vis affectu perturbatos intra limites rectæ rationis coëteri, ut non*

abs

abs re: *Musica ad mores Civitatis huc illuc  
 flectendos plurimum valere, credamus Platoni.  
 Nam & Cassiod. apud Varr. 12. Epist. 40.  
 Musica, infit, tristitiam noxiam jucundat, tu-  
 midos furores attenuat, cruentam sevitiā ef-  
 ficat, blandam excitat ignaviam, soporantem-  
 que langvorem, vigilantibus reddit saluber-  
 rissimam quietem. Sanat mentis tadium bonis  
 cogitationibus semper adversum. Quod si au-  
 tem Musica tantas habet vires in adfectus sub  
 naturali sua indole, quanto majorem Musi-  
 ca ut cum Osiand. in Theol. Mor. p. 143. lo-  
 quat, Si facta DEO, Si Spiritus virtute fa-  
 cunda, si ex scriptura impregnata, & verbo  
 Divino stipata, vim quoque spiritualem exer-  
 cet in animos? Et ut D. D. Dannahawer  
 in ὁδοποιεῖα spirit. Calvin, Part: 2. phant: 6.  
 pag. 1253. eleganter: Musica excitat auditori-  
 um, animum concitatum tranquillat, 1. Sam.  
 16. 16. abstrahit à prophanis cogitationibus,  
 elevat ad sacras, & capienda DEI oracula,  
 2. Reg. 3. 15. θεῖον γὰρ in se habet ipsa Ἀγασολὴ  
 & tinnitus modulatione quod nemo in hac  
 vita facile adsequatur. Quare se mirificè ad-  
 fici dicebat Augustinus, cum canticum audiret  
 Ecclesiasticum, adeo ut valdè fleverit, ut vi-  
 dere est l. 9. Conf, c. 6. Nimirum quod opti-  
 mum*

mum monitum reliquit de legendis libris gentilium Basilii: Oportet, inquit, nec oculos spectaculis, nec vanis prestigiatorum ostentationibus tradere, nec per aures animorum corruptricem melodiam haurire. Hoc enim Musicæ genus servitutis & ignobilitatis fructus parere, prætereâ libidinum stimulos acueve solet. Alia nobis Musica longe melior existit & ad meliora nos exitans sequenda. Hæc ille, absit abusus Musicæ & erit optima. Proindè sobriè admodum regulam cantoribus præscripsit 4. Synodus Carthaginiensis can. 10. Uti quod ore cantatur, corde credatur, & quod corde creditur, operibus comprobetur. Quando

*Non vox, sed votū, non musica chordula, sed cor,  
Non clamor sed amor cantat in aure DEI.*

